Quelle: http://manuscripta.at/?ID=26908
Copyright: Admont, Benediktinerstift

ilitum sepeliuit in sepulchro nouo. IIII. id. mai. Eodem quoque tempore
passa est uirgo sanctissima. Sotheris nomine: nobili genere orta. sub
diocletiano augusto nouies. et maximiano septies imperantibus. regnan-
te autem domino deo nostro atque saluatore ihesu christo in unitate spiritus sancti per omnia se-
PASSIO SANCTORUM NEREI ET ACHILLEI. secula seculorum amen.
Nisi studia catholicorum securitatis sue somno quiescerent: nul-
la posset ratione impietas hereseos multos inuadere pietatis.
Sed ad euigilandum. nos stimulis suis exagitant. uel exulcerant
et tamen rerum quadam euigilantia. ac fastidiosa cura. stre-
nuis et sollicitis obuiantes negligimus: agnos quos pro certe deo uult a-
mittimus luporum morsibus deuorandos. Unde eorum sollicitudine qui
ante nos fuerunt orthodoxorum prouintie nostre martyria aliquanta colligens
de greco transtuli in latinum. dans exemplum hoc diuersarum prouintiarum studi-
osis. ut sicut nos innitamur. ita illi in suis transferant prouintiis consummata mar-
tyria. ut ipsi excolentes et uenerantes eos. quos pro nomine domini nostri ihesu
christi passos agnoscunt: sciant quo studio belli uictoriarum triumphos
portantes ad regem suum obuiantes atque letantes peruenire meruerint.
Primum itaque ad edificationem omnium. quorum est studium placendi deo. suma-
mus domitillam nobilissimam uirginem neptem domitiani imperatoris.
Hec habuit nereum et achilleum eunuchos cubicularios quos beatissimus sanctus
dei petrus apostolus lucratus fuerat christo. Isti dum uiderent dominam suam
ornari gemmis. et purpureis uestibus atque auro textis indui dixerunt
ei. Quanto studio ornaris in corpore: ut filium consulis aurelianum.
hominem mortalem maritum accipias. si tanto studio ornares animam
te. filium dei immortalem regem poteras adipisci sponsum. qui etiam ipsam
te eternam faceret: et numquam tibi neque ornamentis tuis. neque gaudiis tu-
is finem permitteret: aut terminum euenire. Domitilla respondit et dixit eis.
Que potest esse melior caritas quam habere uirum. suscipere filios per quos
possit posteritas dulcissima propagari. et tam generis dignitatem: quam memo-
riam nominis non delere. Postremum quam asperum est delectationes
ipsas contempnere: et uite ipsius suauitate non perfrui. et quasi non sit na-
tus in hac luce: quecumque sunt dulcia corpori non amare. Ad hec nereus
respondens dixit: Tu delectationes unius puncti uides. et que sequuntur
pannorum totius pericula non uides. Primo enim cum te ab integritate que
tecum nata est separauerit. perdito nomine uirginis: mulier nuncupaberis.
et que numquam ingenuitati tue dominaris. passa es nec parentes separatie